PROPOSITIONES
&
PROBLEMATA PHILOSOPHICA,
De quibus
V. F. D. O. M.

In publico Academiæ Regiæ Aberdonensis
Acroaterio ΔΙΑΤΡΙΒΗ' ΠΕΙΡΑΣΤΙΚΗ' instituetur,
A. D. IV. KAL. SEXT. *Horis pomeridianis, Anno* 1625.
Respondentibus Magisterii Philosophici candidatis,
PRAESIDE GUL. LESLAEO.

Nimiùm altercando Veritas amittitur,
Publ. Mim. apud Gell. l. 17. c. 14.

ABERDONIIS,
E Typographêo Edvardi Rabani,
ACADEMIÆ & VRBIS TYPOGRAPHI,
ANNO SAL. 1625.

ILLVSTRISSIMO,

ET GENEROSISSIMO HEROI, AC DOMINO,

ALEXANDRO FORBESIO,

Nobiliſsimi & Laudatiſsimi Patris,

ARTHVRI FORBESII,

Comitis à Forbes, Baronis de Drumminnor, &c.

Filio Primo-genito, & Maximæ Spei Hæredi;

Domino, Mecœnati, et Evergetæ ſuo, Clementiſsimo, Indulgentiſsimo, ac Beneficentiſſimo:

Philoſophica hæc qualiacunque decermina,

In Affectus Deditiſsimi, & Subjectiſſimæ Obſervantiæ perpetuum Symbolum ac Monu*mentum*,

L. M. D. D. C. Q.

ILLUSTRISSIME & GENEROSISSIME DOMINE,

ERat quidem Philoſophicis noſtris Muſis illud fortaſſe vel maximô redimendum, ut, quod Ἀκαδημικοῖς Pythagorêis ſolenne fuerat, quinquennali ἐχεμυθίᾳ Sigalioni litarent; aut quod hactenùs factitaſſent, cum Aſpendio fidicine, intra privatos Odêi cancellos, nobis ac ſibi ſolis canerent: neque temerè ſe in ancipitia tam delicati ſæculi judicia induerent. Sedenim quùm & tot incomparabilium adorearum, & tot indiſſolubilium autoramentorum potentiſſimis illiciis velut magneticis fibris attractæ, ac vel ingratiis alioqui noſtris erupturæ, jam inibi eſſent, ut clathros perfringerent: maluimus ipſi ἑκόντες ἀεκόντες claustra laxare, quàm hunc ſive impetum, ſive intemperiem, illaudabili exemplô, nequicquam ſufflaminare. Ad Te igitur unum Iuveniles noſtræ Divæ, tanquam ad Λόγιον Ἑρμῆν, aut Apollinem Μουσηγέτην, agmine factô venerabundæ accurrunt; & quàm poſſunt proniſſimo ore, ac ſubmiſſiſſimis faſcibus prociduæ, Excellentiſſimi Honoris tui genua adorare, incerare geſtiunt. Quin-imò Ædis illius Auguſtæ, quam Virtuti jampridem & Melioribus Muſis in ſacratiſſimo tuo pectore exædificatam ſuſpicimus, nedum poſtes & limina exoſculari, ſed, quod extremæ temeritatis & præfidentiſſimæ audaciæ eſt, in ipſa ſe adeo penitiſſima adyta penetrare diſcupiunt. Atque ut hâc ambitioſorum votorum ſummâ potiantur, & immortali beneficio mactæ, beatæ æternùm clueant, non Ædituum aliquem, aut Admiſſionalem, ſed venerandum ipſum Myſtagogum & Flaminem, Genium putà Heroæ indolis, quod queunt rebus tam acciſis ac puſillis, præcidaneâ hâc porcâ placatum eunt: & ne quicquam ſit reliqui, pancula hæc farra ſa-

inô libant, paupertinâque acerrâ litant, aut litare saltem avent, satagunt. Quòd si autem interioris admissionis honorem hunc tantopere ambitum indipiscantur, audebunt, gaudebunt, nobis sanè volentibus, jubentibus, votivum hoc qualecunque donarium in sanctissimi lararii bracteato tholo suspendere, aut in ipso Novensilium Dearum variegato sessimonio suffigere: tùm ut ipsum ex se obscurum, ἐφήμερον, morticînum, quantulamcunque à fulgidissimo jubare lucis vitæq; usuram fœneretur; tum verò maximè, ut sempiternum perennet pignus monimentumque humillimi nostri cultûs, & venerationis tot, tam illustrium virtutum, quibus excelsum ac cœlestem illum animum, tanquàm firmissimis præsidiis & munimentis, ipsa numinis dextra exaggeravit. Quarum magnitudine atque splendore cùm in te omnium ora oculosq; converteris, & vel ab improbissimis obtrectatoribus, etiam invitis, stuporem expresseris; næ nos profecto haud-quaquàm committemus, ut meridiano huic Soli à prædicationis nostræ faculâ lucem accersere aut fœnerare videamur. Nam quod esset os nostrum, cum magnificis illis ac splendidissimis titulis dicendo laudandoque paria facere velle, quorum vel sola commemoratio non unum, sed Fabios multos delassaret? Enimverò Tu nobilissimæ ac vetustissimæ FORBESIORUM gentis, quæ tot fumosas majorum imagines & ceras, tot Martia fortissimorum Heröum pectora, tot lemniscatas palmas & gloriossissima trophæa in ipso Famæ Theatro erecta, meritissimè ostentat, jactat, prædicat; hujus tu ergo florentissimæ familiæ non insititius surculus, aut epiphyllis παραφυὴς, sed lectissimum, ab ipsaque radice πρωτοφυὲς germen, à Phylarcha genitore divino illo Semone altera velut destina aut suggrunda; in ipsâ primulâ herbescentis adhuc ætatulæ viriditate, jam tum decore gemmeô inoculatâ, & suavissimis non minùs bacculis, quàm fragrantissimis flosculis luxuriante, spem luculentam faciebas uberrimorum, lætissimorum fructuum, quos nunc in gravido maturescentes palmite sublatis oculis gratulabundi contuemur. Quippe ascitus in

tus in illustre hoc Athenæum, non solùm amabili morum suavitate, tanquam philtro sesami aut promulsidis, συμφοιτητῶν & εἰσηγητῶν animos deliniviſti, in amoremq; tui & admirationem pellexiſti; sed & Humaniorum, & Philosophicarum, quâque dabatur, Sanctiorum Musarum latifundia capitalis ingenii vomere, edecumatiq; judicii burâ gnaviter, fœliciter proscidiſti. Quæ ipsa quùm privatis post operis iterata, novata, tertiata, etiammum subigere, excolere non desinas, illud omnino maximum consequeris, ut in hac tanta circumfulgente dignitate, Novantiquarum Literarum unus non ex semisse aut besse, sed ex asse justus hæres videaris. O laudem vel melioribus sæculis, nedum hoc ferreo atque effæto, in degenere nobilitate, raram, inusitatam! Atque in hîs tu pulcherrimis curis cogitationibusque defixus, non inanis gloriæ fumos aucuparis, nec ventosæ ambitioni, cui nunquàm sacramentum dixiſti, velificaris: sed præclaris animi facinoribus ceu fidiſſimis clientibus & ambactis stipatus, per Virtutis sacrarium ad Honoris ἀκρόπολιν pleno & concitato gradu contendis; ut collectam à tot inclytis majoribus gloriam aut, illis vinci se gaudentibus, obscures, aut ingenti abs te accessione locupletatam, ad posteros transmittas. Verumenimverò indelibata decora, & immarcessibiles illas laudes tuas, non cedrô tantùm aut ære, sed vel ipsâ æternitate digniſſimas, præstat sacri silentii supparo involvere, tacitoq; horrore & εὐφημίᾳ venerari, quam ingenii culpâ deterere, aut infantiæ scoriâ attaminare. Cæterùm illud præterire religio sit, quô ceu pulcherrimô emblemate, aut insertâ generosi pectoris musivû abs Te Musivario vermiculatum est: propenſiſſimû nempe illû in Rempubl. nostram literariam affectum, nunc-nuper illustribus documentis quà privatim, quà publicè testatû: dum & almæ huic parenti, quæ tantô se alumnô ac nutritiô jactat, prolixiſſimè nutritia rependeres, & præceptorem nostrum jam olim tibi vel antiquâ Solduriorû lege devotiſſimû, effuſiſſimâ prothymiâ cõplecterêre. Quibus tot, tantis beneficiis, sacramentis quùm & nos Tibi ætatem vadatos, obæratos habeas; nec diſpungendis tamen nominibus impræsentiarû

pares ſimus. Interim Tu, ô magne Heros, proſicia & ablegmina, parum ablecta, quæ aris Tuis imponimus, clementer reſpice; fœtumque exterricineum & ἡλιδόμιλωον, qui, nec-dum celebratis Amphidromiis, in Tuam ſe fidem ac clientelam dedit, ut Sotêria tibi uni debeat, tolle. Quâ nos ſpe ac fiduciâ pleni, auſi ſumus hoc, cuicuimodi eſt, non fiduciariæ, ſed æviternæ mancipationis obligatorium ſacratiſſimi nominis Tui præſcriptione, tanquàm inſigni παραγράμμω aut antipagmento, condecoratum, corroboratum ire; Averruncando Livori, & Scævitati. Quod ſupereſt, DEUM τρισάγιον, τρισμέγιστον ſupplices veneramur, ut Illuſtriſſimam & Generoſiſſimam Amplitudinem Tuam, quàm diutiſſimè incolumem, florentem præſtet; adeoque novum & aureum hoc ſydus, nobiliſſimæ genti μυρίον ὅσον illuſtrandæ natum, datum, non niſi ſerò denaſci, imò perlucere, perennare velit.

Illuſtriſſ. & Generoſiſſ. Amplit. Tuæ

Perenni-ſervi mancupio & nexu,

GEORGIVS LEITHÆVS.
GEORGIVS SPEIDÆVS.
GVLIELMVS WATSONVS.
LACHLANVS GRANTÆVS.
PETRVS YOVNGSONVS.
THOMAS CAMERARIVS.
THOMAS GORDONVS.
THOMAS MOLYSONVS.

PROPOSITIONES LOGICÆ.

I.

SCIENTIA omnis Theoretica est, ad solam veri θεωρίαν collimans, 6. *Ethic. Nicom. cap.* 3. & 2. *Metaph. c.* 1. n. περὶ τὸ ὄν, non περὶ γένεσιν, 2. *Post. t.* 104. Cæterum scientia tripertitò dispescitur, in Theoreticam, Practicam, Poëticam, 6. *Top. c.* 6. & *l.* 8. *c.* 1. quippe & intellectus triplex, Theoreticus, Practicus, Poëticus, 6. *Metaph. c.* 1. coque & habitus intellectualis totuplex; an verò duplex? Theoreticus, Practicus: quod tàm falsò autumat *Suarez*, quàm esse Logicam scientiam activam, *Tom.* 2. *Disp. Metaph. Disp.* 44. *Sect.* 13.

II Logicus artifex, Logica ars est; Vtriusq. enim finis opus, Instrumenta scientiis fabricare, apparare, *Scal. exerc.* 1. *num.* 3. adeoque πιεῖν τὰς συλλογίσμους, 1. *Prior. c.* 25. & *l.* 2. *c.* 28. An potius artium albo eradenda? siquidem ars principium est τοῦ γινομένου, ἀλλ' ἐν ἑτέρῳ, 2. *de Gen. An. c.* 1. ac versatur quidem περὶ τὴν ποίησιν, sed præter, post quam ἀλλό τι τέλος, ἀποτελέσμα η. ἔξω τοῦ ποιοῦντος, 6. *Nicom. c.* 5. & 1. *Polit. c.* 3.

III Logicam universam, 1, τὴν συλλογιστικὴν, Græci interpretes è subjecto tripertiti sunt, in Apodicticam, Dialecticam, Sophisticam, *Aphrod. Porph. Amm.* &c. Arabes indidem bipertitò, in Communem, & Propriam, secuêre, *Averr. præf. in* 1. *Post.* Vtrique ritè, accuratè: è subjecto, inquam, seu fine adæquato, qui cum Syllogismus propriè solus sit, aut Logicū omne instrumentū dianoëticū, aut datur instrumentum λογικὸν ἄνευ

λόγῳ, *Zab. 1. de Meth. c. 13.* quicquid opponant nuperi Aristarchi, *Ram. 2. Schol. Log. c. 3. Keck. 3. Præc. Log. c. 2.*

IV Animal universale aut nihil, aut posterius est; eoque universalia intellectus opera sunt, *Averr. 1. de An. comm. 8.* Sed & res in rebus extra extrà intellectum, *Scal. ex. 307. n. 22.* Cæterũ & sensus universalia ἐμποιεῖ· ἡ γὰρ αἴσθησις τοῦ καθόλου ἐστὶ, *2. Post. t. 106.* quanquam ἀίσθησις non est τοῦ καθόλου, sed τοῦ τοιῶνδε, ἢ μὴ τῶνδε τινὸς, *1. Post. t. 182.*

V Non datur universale unum præter multa, *1. Post. t. 81.* siquidem nec substantia communis, *7. Metaph. c. 16.* esset enim τρίτον ἄνθρωπον, *ibid. c. 13.* datur universale unum præter multa; quod, cum in animâ πῶς sit, *2. de An. t. 60.* inque intellectu quiescat, stet, *2. Post. t. 104. 105.* unum idemque in multis vel inest, vel inesse, eoque prædicari naturâ aptum est, *7. Metaph. 13. & c. 7. de Int.*

VI Μόνον τὸ εἶδος ὁρίζεται, *Boët. apud Psell. l. 2. Syn. Org. c. 4.* Itaque omnis definitio semper universalis est; sed facilius definitur singulare, quam universale, *2. Post. t. 82.* Imò singularium definitiones, non universalium sunt, *Averr. 1. de An. com. 8.* Quanquam propriè nec universalium, quà universalia, nec singularium, quà singularia, *Aphrod. 1. Nat. Quæst. c. 3.* sed eorum, quæ nusquam, nisi extra mẽtem sunt, quatenus in mente repræsentantur, *I. Martin. Exerc. Metaph. l. 1. ex. 8.*

VII Genera & differentias in speciebus, ut constituentia in constitutis, hæc omnia in individuis actu inesse, tritum in spatiis deambulatorum est; Cæterum non, ut accidentia in subjectis, sic & universalia in singularibus insunt actu, *Averr. 1. Post. comm. 164.* Quinimò genera & differentiæ communiores in specie (quemadmodum materia & forma in composito) insunt potentiâ, non actu; sola ultima differẽtia inest actu, *idem 7. Metaph. comm. 42.*

VIII Genus proximum in specie inest ἐμμέσως: Itaque prædicatio animalis de homine, nec ἦ αὐτὸ, nec immediata, &, si reduplicetur, falsa est, *Averr. 2. Post. comm. 94.* Genus remotum, imò quodvis attributum essentiale in subjecto inest ἀμέσως,

σως, quia non per causam externam, *idem* 1. *Post.* cõm. 95. ideoque indemonstrabile est, *Zab.* 1. *de Med. Dem.* c. 19.

IX Quicquid generi, ut genus est, idem speciei inest, vel attribuitur, non contrà, *Porph. Isag.* c. 7. quicquid speciei inest, vel accidit, idem & generi, non contrà; quicquid ergo generi non inest, nec speciei inest, non contrà, 2. *Top.* c. 4. Adeoque differentiæ specierum sunt in genere, non quidem actu, sed potentiâ, seu indeterminatè, *Thom. de Ent. & Ess.* c. 3. Imò actu per modum unionis, *Mas. disp. de Diff. Sect.* 2. quanquam nulla differentia generi attribuitur, 6. *Top.* c. 6.

X Species accidit generi, si accidit generi, ut sit in hac specie, *Averr.* 2. *Post. comm.* 94. Genus speciei non accidit; eoque nec panonymως attribuitur: ὁ ἓν κεχρωσμένον εἰπὼν τὸ λευκὸν, ἓχ ὡς γένος, ἀλλ' ὡς συμβεβηκὸς ἀποδέδωκεν, ἐπεὶ παρωνύμως εἴρηκεν, 2. *Top.* c. 2. Sed concreta concretis, genera speciebus, ut paronymως, ita synonymως attribui nihil vetat, *I. Martin. in Log. Keck.*

XI Omnis pars substantiæ substantia est; nec aut substantia fit è non-substantiis, aut non-substantia, quàm substantia, prior est; ac, si homo est substantia, utique & bipes, *Phys.* t. 52. 28. Differentiæ tamen substantiarum συσταλικαὶ non substantiæ, sed qualitates sunt, 5. *Metaph.* c. 14. & *Porph. in* c. *de Subst.* c. 15. Οὐσιώδεις, inquam, an accidentales? siquidem in genere, cui accidunt, ὡς ἐν ὑποκειμένῳ sunt: quamquam & in subjecto non esse, palam est; cum non insint καθ' αὐτὰ συμβεβηκὸς, 4. *Top. Cap.* 6.

XII Differentia, perinde ut genus, prædicatur synonymως, et in quid, adeoque primo modo per-se, 7. *Top. capp.* 3. 5. est enim μέρος τοῦ πραγματος, c. *de Diff.* καὶ ποιὸν ἐν τῇ ὐσίᾳ, 5. *Phys.* t. 18. Imò non in quid, sed in quale quid, paronymως, et secundo modo per-se, *Mas. Balf.* ὃ γὰρ σημαίνει τὸ τί ἐστιν, ἀλλ' αἰεὶ ποιότητα τοῦ γένους, 4. *Top. capp.* 2. 6. & 5. *Metaph.* c. 28. Cæterùm differentiam ex *Arist.* paronymως, non synonymως prædicari, tàm falsò statuit *Keck. l.* 2. *Syst. Log.* quàm temerè cum formâ substantiali confundit, *l.* 1. *Gymn. Log.* c. 4.

XIII Accidens accidenti non accidit, nisi quia utrumque eidem accidit, 4. *Metaph. c.* 4. Itaque non est accidens ὑποκείμενόν τι; nec, cum non sit quid aliud, dicitur quod dicitur, 1. *Post. t.* 151. Imò accidens accidentis subjectum est, cùm attributionis, *Zab. l. c.* tùm inhæsionis, *Timpl.* 3. *Metaph. c.* 3. *qu.* 15. Qualia imprimis Mathematica εἴδη, quæ ut non sunt καθ' ὑποκειμένου τινός, 1. *Post.* 101. οὐσίαι γὰρ μονὰς καὶ σιγμή, *ibid. t.* 178. sic relationum, aliarumque affectionum ὀνόματα sunt, *Keck. Prol. Math. P.* 42.

XIV Quanti ratio formalis, quam vocant, in certâ partium extensione, una est, *Durand. in* 1. *& Scot. in* 4. *Sent.* Itaque non est vocabulum homonymum, quicquid ex *Averroë* disputet *Zab.* sed unum genus genus synonymũ, an πρὸς ἕν? 1. *Post. t.* 40. *& l.* 2. *t.* 96. Atqui una unius generis scientia est, 1. *Post. t.* 179. Cæterum πὰ πρῶτα γένη, numerus & magnitudo, genere differunt, *ib. t.* 193. perinde n. ut unitas & punctum, *ib. t.* 186. eoque diversas constituunt scientias; quarum principia ἀναλόγως communia, *ib. t.* 74.

XV Genus & speciem semper ὑπὸ τὼ αὐτὼ διαίρεσιν δεῖ εἶναι. Itaque genera relatorum, & ipsa relata sunt, 4. *Top. c.* 1. sed non, si genus sit ad-aliquid, continuò & species: quippe genera habituum sunt τῶν πρός τι, species non item, 4. *Top. c.* 4. An potius utraque in utrâque οὐσιχία? qualitatis n. & relationis, 7. *Phys.* 18. 20. quod cum ἑτεροτρόπως absurdum non sit, *c. de Qual. f.* 33. perperàm ex eo colligit *Piccol.* habitus qualitatum tribu movendos, *Grad.* 2. *Phil. Mor. c.* 8.

XVI Nomen est διδασκαλικὸν τῆς οὐσίας ὄργανον, κατάλληλον τῇ φύσει τὸ πράγματος, *Plat. Crat. & Alcin. Isag. c.* 6. nec fortuito aut arbitrario positu, sed naturæ vi quadam ac ratione factum, *Nigid. apud Gell. l.* 10. *cap.* 4. Imò nomen nullum naturâ est, ὡς ὄργανον, sed κατὰ συνθήκην, ὡς σύμβολον, *c.* 2. 4. *de Int. &c.* 1. *de Sens. & Sensil.* cùm nullam propriè ex se significandi, nedum efficiendi Physicam vim habeat, *Vales. de Sacr. Phil. c.* 3. *Lavat. Disq. Phil.* 16.

XVII In enuntiatione, etiam ternariâ, solum nomen subjicitur, sol

tur, ſolum verbum attribuitur; nulla ſiquidem affirmatio, negatio abſque verbo, aut verbi caſu, 5. *de Int. ſ.* 2. Itaque nec ſine copulâ verbali; quæ tamen ipſa nec verbum eſt; τὸ γὰρ εἶναι, ἢ μὴ εἶναι οὐδὲν σημαίνει, οὐδέν ἐστι, *ib. c.* 3. *ſ.* 6. nec attributum, ſed formale attributi, totiuſque enuntiati expreſſum, vel incluſum, συγκατηγορέμενον, ἢ τρίτον προσκατηγορέμενον, *ib. c.* 10. *ſ.* 4. Cæterùm τὸ eſt, erit, erat, fit, verba ſunt ἐκ τῶν κειμένων; adſignificant enim χρόνον καὶ συνθέσιν; eoque nonnihil, ut nomina, ſignificant, *ib. ſ.* 2. & *c.* 3. *ſ.* 3.

XVIII Idem voco principium & primum, 1. *Poſt. t.* 13. Nam & principium, primum; & primum, principium eſt, 4. *Top. c.* 1. Nec principium de ſubjecto dicitur; εἰ γὰρ ἔν ἀρχή ἀρχῆς, 1. *Phyſ. t.* 52. Itaque primorum principiorum principia nulla ſunt, 1. *Poſt. t.* 18. At primorum principiorum, quatenus intelliguntur, principia & cauſas Pſychologia enucleat. *Averr. & Zab. ad* 1. *de An. t.* 2.

XIX Effectum unum idemque plurifariàm demonſtrari quit, 1. *Poſt. t.* 180. nedum ὅτι ex ſignis & accidentibus, ſed & διότι è cauſis proximis; quarum tamen omnium una unica quæſitis omnibus Analyticis facit ſatis, *Zab. de Sp. Dem. c.* 21. τὸ γὰρ αἴτιον, τὸ μέσον, 2 *Poſt. t.* 5. τὸ δὲ μέσον, λόγῳ τε πρώτε ἄκρε, *ib. t.* 41. 97. Itaque rei unius una eſt, ut differentia, eſſentia, definitio, ſic cauſa proxima, & demonſtratio καθ' αὐτό, 2. *Poſt. t.* 95.

XX In demonſtratione μὴ δι' ἀμέσων, medium, quod extrà ponitur, eſt τὶ αἴτιον, non τὸ αἴτιον ſeu πρῶτον αἴτιον: Itaque τὸ ὅτι ſaltem, non διότι notificat, 1. *Poſt. t.* 95. 99. Aliàs demonſtratio omnis per cauſam, remotam quoque, vel ideo quia per cauſam eſt, ex nativa indole τὸ διότι notificat, *Keck.* 3. *Syſt. Log. Sect.* 2. *&c.* Eoque antiſtat demonſtrationi ex effectu, *contra Zab. de Sp. Dem. c.* 7.

XXI Proprietas generis de ſpecie prædicatur, demonſtratur, ſcitur δ καθ' αὐτὸ, ἀλλὰ τρόπον τινά, 1. *Poſt. t.* 37. n. τὸν σοφιστικὸν τρόπον, *ib. t.* 41. id eſt, per accidens, *Averr. ib. comm.* 163. Itaque omnis propoſitio ſecundi modi καθ' αὐτο eſt ἢ αὐτὸ,

Zab. 2. de Pr. Nec. c. 5. Quod tamen rectè negat *Philop.* cùm et proprium genericum per ſpeciem definiatur, *Albert. Averr. 2. poſt. comm. 94.* nec demonſtratio particularis nulla ſit; quam et Philoſophus univerſali præfert, an poſtfert? *1. Poſt. t. 161. & ſeqq.* an potius rejicit; ſiquidem nulla in ſcientiis eſt, *2. Poſt. t. 96.*

XXII Eadem iiſdem ſimul et priora et poſteriora eſſe nequeunt, *1. Poſt. t. 22.* Eoque nec ſui invicem cauſæ; τὸ γὰρ αἴτιον πρότερον, καὶ αἴτιον, *2. Poſt. t. 92.* Atqui efficiens fini naturâ cùm prius eſt, κατὰ τὴν γένεσιν, *ib. t. 52.* tùm poſterius, κατὰ τὴν οὐσίαν, *2. de Part. An. c. 1.* Nimirum finis et efficiens (idem de materia et forma cape) invicem ſibi cauſæ et effecta ſunt, *2. Phyſ. c. 3. & 5. Metaph. c. 2.* Itaque mutuò ſeſe à priori demonſtrant, definiunt, *2. Poſt. 2. 51.*

XXIII Ab univerſalibus ad ſingularia procedendum eſt; ſiquidem illa nobis, quam hæc, notiora; ut κατ' αἴσθησιν, *1. Phyſ. t. 4.* ſic κατὰ λόγον, *ibid. t. 49.* cùm et faciliùs et priùs abſtrahantur, *Cajet. ad Thom. 1. Part. Summ. qu. 85.* A ſingularibus ad univerſalia tranſeundum, *2. Poſt. t. 82.* quippe illa nobis, quam hæc, notiora, adeoque ſenſui propinquiora, *1. Poſt. t. 12.* cum et priùs et faciliùs cognoſcantur, *Scot. & Dur. 2. Sent. Diſt. 3. quæſt. 7.*

PROBLEMATA LOGICA.

1.

AN Logica tota ſit deuteronoëmatica? Aff. quanquam ſubjectum ejus primarium res omnes, ſecundarium ſecundæ notiones ſunt, *I. Gand. 4. Metaph. q. 6.* referente *Zab. 1. de N. Log. c. 19.*

2 An Logica rebus applicata ſit ſcientia? Aff. rectè cum Græcis, *Zab. 1. de N. Log. c. 5.* Neg. rectiùs cum Latinis, *Piccol. part. 2. Com. Pol. & Grad. 5. c. 52.*

3 An

3 An Dialectica & Sophistica sint alicujus definiti generis? Neg. 1. *Post. t.* 85. quanquam versantur circa idem genus cum Metaphysica, n. τὸ ὄν, 4. *Met. t.* 5.

4 An Rhetorica Logicæ particularis pars sit? Aff. malè *Zab.* 2. *de N. Log.* 17. &c. Etsi Rhetorica Διαλεκτικῆς μόριόν τι, 1. *Rhet. c.* 2. 3. Imo τῆς λογικῆς pars quædam est, *Scal. ex.* 1. *n.* 3.

5 An τὰ καθόλου καθ' αὑτὰ ὑπάρχη? Aff. 5. *Metaph. c.* 19. *quanquam* μηθὲν ἐστι παρὰ τὰ καθέκαστα, 1. *Post. t.* 162. & 3. *Metaph. Cap.* 4.

6 An corpus animatum sit genus animalis? Aff. *Porph. c.* 2. Neg. *Arist.* 4. *Top. c.* 5. quia pars toti ἐδαμῶς attribuitur; quanquam & pars toti in concreto attribuitur, *Keck.* 1. *Syst. Log. c.* 5.

7 An propria in definitione ponenda sint? Neg. quia sunt ὑστερογενῆ, *Scal. ex.* 5. *n.* 6. Aff. quia formæ latent, *idem ex.* 307. *n.* 21.

8 An nigredo corvi sit accidens inseparabile? Aff. *Porph.* sed & albos reperiri corvos in nivosis locis, autor est *Scal. ex.* 59. post *Arist.* 5. *de Gen. An. c.* 6.

9 An sola composita ex actu & potentiâ in prædicamentis sint καθ' ἐυθυωρίαν? Aff. ex. 12. *Metaph. t.* 26. etsi genus summum simplex, imo compositum est, *Zab.* 2. *de Pr. Mat.* 19.

10 An habitus sit primum principium operationis? Aff. *Arist.* 2. *Phys. t.* 38. Neg. *idem* 10. *Metaph. Dist. Piccol. grad.* 2. *c.* 7.

11 An ὑπεναντίαι opponantur ἐναντίως? Aff. 2. *Prior. c.* 8. etsi τὸ τινὶ τῷ ἢ τινὶ opponitur κατὰ λέξιν, ἢ κατ' ἀλήθειαν, 2. *Prior. Cap.* 15.

12 An syllogismus (ut & enunciatio, propositio) per λόγον ἔξω ab *Arist.* definiatur? Aff. quanquam syllogismus est magis τῷ ἔσω, quam τῷ ἔξω λόγῳ, 1. *Post. t.* 77. nam syllogismi tantum ideam in mentem existere, commentum est *Timpleri* 4. *Syst. Log. Cap.* 1.

13 An figura Galeni sit inutilis & ἀσυλλόγιστος? Neg. cum certam colligat conclusionem: etsi repugnat naturæ, & idem de seipso concludit, *Averr.* 1. *Prior. c.* 8.

14 An syllogismi singulares per dicta de omni, & nullo concludant?

cludant? Aff. *contra Keck.* sed rectè *Arist.* principia Canonica solis universalibus & particularibus dicavit, 1. *Prior.*

15 An syllogismus omnis necessarius sit Apodicticus? Aff. cæterum præter Apodixes in scientiis, imò in prudentiis reperiuntur Syllogismi Didascalici, Analytici, οἰκεῖοι, 1. *Post. t.* 85. *& cap.* 2. *Elench.*

16 An omne necessarium sit per-se, non contrà? Aff. *Averr.* quanquam & omne per-se necessarium est, non contrà, *idem, & Zab.* 1. *Post.* 36.

17 Vtrum modus καθαυτὸ tertius essendi, quartus causandi solum, an uterque etiam prædicandi sit? Aff. post. etsi nec existentia à subjecto distinguitur; nec effectus causæ, aut contrà, inest, *Keck.* 2. *Syst. Log.*

18 An demonstrationis principia sola prima, immediata? Aff. 1. *Post. t.* 10. Quanquam & conclusiones primæ, immediatæ sunt, *ib. t.* 37.

19 An semper in demonstratione negativâ propositio affirmans sit immediata? Aff. rectè *Zab.* 1. *Post. t.* 157: sed falsum hoc de demonstratione à causâ remotâ, *Zab. ib. t.* 95.

20 An principia transferri queant è scientiâ in aliam diversi generis? Neg. 1. *Post. t.* 56. Sed mixtæ conclusiones Philosophicæ probantur absque μεταβάσει εἰς ἄλλο γένος, *ibid. t.* 102. *Keck.* 3. *Syst. Log. f.* 4.

21 An subjectum scientiæ subalternantis sit genus subjecti subalternatæ? Aff. *Scot. Prol.* 1. *Sent.* Neg. rectè *Averr.* 1. *Post. com.* 69. nam subjectum est ἕτερον, αὐτὸ ᾧ, *ib. & t.* 59. quanquam scientiæ omnes subalternantur Metaphysicæ, *Themist. ib. t.* 71.

22 An scientia tota in uno, & in duobus tota versetur? Aff. *Zab. de Tr. Præc. c.* 5. cæterum πᾶσα ἀποδεικτικὴ ἐπιστήμη περὶ τρία ἐστι, quæ ipsa in demonstratione sunt, 1. *Post. t.* 76. 57.

23 An essentialis definitio accidentis sit principium demonstrationis διότι? Aff. *Zab.* 4. *de Meth.* 15. Est tamen conclusio demonstrationis, 2. *Post. C.* 10.

An demo

24 An demonstratio seu definitio perfecta notificet τὸ τί ἐστι? Aff. 2. *Post.* c. 8. Neg. *ibid.* c. 4. Imò nulla est methodus notificandi ignotam quidditatem, *Zab. de Meth.* & 1. *de An.* t. 5.

25 An demonstratio omnis & potissima sit διότι, & διότι sit ὅτι, non contrà? Aff. utrumque: tametsi ἀκριβεστέρα ἐπιστήμη ἡ τοῦ ὅτι καὶ τοῦ διότι ἡ αὐτὴ, τῆς τοῦ διότι, 1. *Post.* t. 172.

26 Vtrum Ordo Dedascalicus unus sit, an multiplex? Aff. prius: quanquàm Analyticus à Synthetico alius, & uterque à naturâ prioribus, *Goclen. part.* 5. *de Meth. Probl.* 1. 2.

27 Vtrum Ordo rerum naturam æmuletur, an nostræ cognitioni se attemperet? Aff. prius cum *Piccol.* ex 3. *Rhet.* 1. & 1. *Phys.* t. 57. Aff. post. cum *Zab.* ex 5. *Metaph.* 1. & 1. *Nicom.* 4.

28 An idem sit prius notiusque nobis, ac naturâ? Neg. 1. *Post.* t. 12. Aff. 6. *Top.* c. 4. exemplô generis & differentiæ; quibus tamen species ut naturâ, sit nobis notior κατ' αἴσθησιν, ut ὅλον, 1. *Phys.* t. 4. *Scal.* ex 307. n. 21.

PROPOSITIONES ETHICÆ,

I.

VIRTUS omnis moralis in vitiosorum affectuum medio consistit; sed &, quatenus justitia quædam est, τὸ πρὸς ἡμᾶς μέσον Geometricæ proportionis, in congruente rationum similitudine, αἰρεῖται, 2. *Nicom.* & 2. *Eudem.* c. 3. 5. Nihilominus (quod sciscebant Pythagorei) virtus ut μεσότης, sic ἀκρότης est, *Archyt. et Theag. de Virt.* &c. Τὸ γὰρ μέσον πῶς ἄκρον, 2. *Nicom.* 6.

II Imò justitia ἡ ἐν συναλλάγμασι medio Arithmetico τοῦ πράγματος adstricta est, 5. *Nic. c.* 7. Omniq́ue justitiæ (etiam τῇ ὅλῃ, medium servanti quà Geometricum, qua Arithmeticum) sola opponitur injustitia, quæ re duplex, simplex nomine, ad utrumque simul extremum devergit, *ibid. c.* 9. *Keck. Disp.* 23. *Curs. Phil. Probl.* 10. nec in eodem simul tota reperitur, 4. *Nicom. et Piccol. gr.* 9. *cap.* 50.

III Medium virtutis unum unicum est; τὸ γὰρ κατορθοῦν, μοναχῶς ἐστι; nec perfecto quid addi, aut demi quit, 2. *Nicom.* 5. Est autem virtus τελείωσίς τις, 7. *Phys. t.* 18. Individua, quippe in individuo tempore, *Averr. ibid.* Eoq́ue ἀνάνετος καὶ ἀνεπίτατος, *Alcin. Isag. c.* 29. Sed & maxima, & minima est, *Piccol. grad.* 4. *c.* 44. Cæterùm ut justus, sic justitia magis minusq́ue dicitur, *c. de Qual. et* 4. *Top.* omnisq́ue virtus, perinde ut vitium, gradibus certis intenditur, remittitur, *Piccol. ibid. cap.* 46.

IV Iustitia universalis, ἢ πρός ἕτερον, ab universa virtute τῷ εἶναι distinguitur: aliàs reipsa non pars virtutis, sed (ut ἀδικία ὅλη κακία) perfecta virtus συλλήβδην una est, 5. *Nicom. c.* 3. Vna, inquam, κατὰ σύναψιν (non genere, specie, numero, proportione) ex multisq́ue partibus coagmentata similibus, *Plat. Protag. Aphrod.* 4. *Nat. Quæst.* 28. An dissimilibus ac specie diversis? Virtutes puta τὰς κατὰ μέρος, quarum genus & est, & non est, *Piccol. grad.* 4. *c.* 37. 38.

PROBLEMATA ETHICA.

I.

UTRUM Philosophia Theoretica, an Practica docendi discendiq́ue ordine prior sit? Aff. post. cum *Simpl.* è 7. *Polit. c.* 15. quanquam Ethicæ Physica Psychologia finem, objectum, media quasi fœnerat, *Averr.* 1. *de An. comm.* 2.

2 An Pol

2 An Politica sit disciplina κυριωτάτη καὶ ἀρχιτεκτονικὴ? Aff. 1. *Nicom.* 2. quanquam Metaphysica est κυρία πάντων, 1. *Post.* t. 70. ἀρχικωτάτη καὶ ἡγεμονικωτάτη, 6. *Metaph.* 1.

3 An virtus, felicitas, vita, Philosophia Practica Theoreticæ anteferenda? Aff. *Max. Tyr. Dissert.* 5. Neg. *idem Dissert.* 6. post *Arist.* 10. *Nicom.* c. 7.

4 An de virtute & felicitate Theoreticâ *in* 6. *et* 10. *Nicom.* homogeneè præcipiatur? Aff. rectè *Piccol. grad.* 9. c. 9. sed doctrinam parergam esse pronunciat Philosophus, 1. *Magn. Mor.* c. 35. *et* 7. *Pol.* c. 2.

5 An εὐδαιμονία sit ἀγαθὸν & τἀγαθὸν? Aff. 1. *Eth. etc.* atqui τοῖς μὴ ἀγαθοῖς accensetur, 3. *Top.* c. 2. si credimus *Piccol. grad.* 9. *cap.* 53.

6 Vtrum virtutis τὸ τί ἦν εἶναι sit μεσότης, an ὀρθότης seu congruentia cum lege naturæ? Aff. prius, 2. *Nicom. cap.* 6. Posterius tuetur idoneis rationibus B. *Meisner. part.* 1. *Phil. Sobr. sect.* 2. *cap.* 2. *quæst.* 2.

7 An scitè virtus ab antiquis definita sit, τὸ κατ' ὀρθὸν λόγον πράττειν τὰ καλά? Neg. *Arist.* 1. *Magn. Mor. cap. ult.* cui tamen virtus est ἕξις κατ' ὀρθὸν λόγον, καὶ μετ' ὀρθοῦ λόγου, 6. *Micom.* 13.

8 Vtrum virtutes morales σύμφυτοι, an more & assuetudine ἐπίκτητοι? Neg. prius, aff. post. 2. *Nicom.* c. 1. Aff. utrumq. 6. *Nicom. et* 1. *Magn. Mor.*

9 Vtrum extrema vitia sibi mutuò magis, an virtuti mediæ adversentur? Aff. prius, 2. *Nicom.* c. 8. sed posterius rectè probat *Piccol. grad.* 9. *cap.* 53.

10 An detur medium virtutis et vitii? Neg. rectè *Averr.* 7. *Phys. comm.* 18. Aff. rectè *Piccol. grad.* 4. c. 46. post Arist. *cap. de Oppos. S.* 19.

11 Vtrum quadrato similior, an circulo vir probus? Aff. prius, ex *Arist.* 1. *Nicom.* 10. *et* 3. *Rhet.* 11. Vel post. ex *Keck. Elem. Geom. cap.* 5. quicquid opponat *Finck. Exerc. Acad.* 1.

PROPOSITIONES PHYSICÆ.

I.

MATERIA prima, ens tantùm potentiâ, 2. *de An. t.* 2. actu v. non-ens actu, 1. *Phys. t.* 76. Imò simpliciter non-ens, nihil, 1. *de Ort. t.* 22. aut omnium saltem entium ignaviſſima, *Scal. ex* 5. *n.* 1. alioqui tamen propius diſpecta, divina res eſt, una omnium maxima, ſuâque eſſentiâ perpetua & immutabilis, *Scal. ex* 61. ſubſtantia nempè ingenerabilis, incorruptibilis, etſi corrumpitur, ὡς τὸ ἐν ᾧ, 1. *Ph. t.* 82. ſemper formata, qualis, affecta, licet ἄμορφος, ἄποιος, ἀνείδεος, *Alcin. Iſag. c.* 8. diviſa, indiviſa, numero una, etiam poſitivè, *contr. Averr.* ſimplex, multiplex, id eſt, quadruplex, 3. *de Cœl. t.* 37.

II Cæterùm etſi materia, quà talis, παθητικὸν, 1. *de Gen. t.* 55. ac potentia ſubjectiva ſolius propria, 9. *Metaph.* ſubſtantialis ejus differentia ſit, *Averr. de Subſt. Orb. c.* 1. quâ ſubjectum ſit omnium Categoriarũ, 7. *Metaph. t.* 8. ſubjectũ utiq. immediatum inhæſionis formarum ſubſtantialium, accidentalium; eoque generationis & alterationis, *Averr.* 1. *de Gen. cõm.* 1. tamen cùm & omnis potentia in actu fundetur, *idem* 3. *de An. comm.* 5. & materia formis prior ſit τῇ γενέσει, 1. *Phyſ. t.* 52. ex, et à ſe actum ſibi vendicat, præſentiæ n. ſeu entitativum, *Philop.* 1. *de Gen. t.* 50. *Scot.* 2. *Sent. diſt.* 12. *&c.* adeoque τὸ εἶναι & τὸ ὑπάρχειν ἐνεργείᾳ, *Perer. l.* 4. *c.* 13.

III Mobile, dum actu movetur, eſt in potentia ad motum & entelechiam, *Thom. ad* 3. *Phyſ. t.* 6. *Monlor. de Vniverſ. &c.* ſed & mobile, quà mobile, οὐκ ἐνεργεῖ; quanquam motus eſt ἐνέργεια mobilis, quà mobile, *Zab. ad* 2. *de An. t.* 54. mobilis, inquam, & moventis actus, primus, ſecundus, perfectus, imperfectus, 3. *Phyſ. t.* 15. adeoque media, ſeu imperfecta perfectio perfectibilis, non perfecti: ut quies extrema, ſeu perfecta perfectio cùm perficientis, tùm perfecti, quà tale; nec tam motus privatio, quàm perfectio, forma, finis, habitus, *Scal. ex.* 18. & 68.

& 68. Itaque motu posterior, sed & prior, perfectior, nobilior, *Durand. 4. Sent. dist. 48. qu. 3.*

IIII In naturâ vacuum non est, 4. *Phys.* in quo &, si esset, non esset motus; qui cum omnis fiat in tempore, *ibid. t. 129* adeoque tempore sit continuus, *ib. t. 99.* ab quo pleni resistentiâ nullus est, *Averr. 4. Phys com. 71. & seqq.* Resistentiâ, inquâ, medii externâ: quippe interna, quam ponit *Scot. 2. Sent. dist. 2. q. 9.* nulla, nisi κατὰ συμβεβηκός, *Zab. 1. de Mot. Grav. 12.* Atqui in naturâ vacuum est; & si non esset, non esset motus: cujus quasi principuum est vacuum, quod cùm semper sit plenum, fit vacuum, ut impleatur, *Scal. ex. 5. n. 2.*

V Locus est ens, & non-ens: non-ens, quia continet ens; ens, quia aliquid alicujus, *Scal. ex. 5. n. 3.* Non tamen ideo vacuum Scaligeranum, sed τὸ διάστημα τοῦ περιέχοντος, 4. *Ph. 42.* Exors utique tertii diastematis, *I. Martin. l. 2. de Loc. c. 7. 10. 11.* quanquàm διαστήματα ἔχει τρία, εἰς οἷς διαιρεῖται, σῶμα πᾶν, 4 *Ph. t. 8.* Itaque licet ambiens ambito majus, nec ab æquali æquale continetur, *Scal. l. c.* Est tamen locus locato, quod primò ambit ac continet, æqualis, 4. *Ph. t. 30.* ἅμα δὲ *t. 42.* καὶ ἐν τῷ αὐτῷ τὰ ἔσχατα τῶν ἀπτομένων, *t. 34.* τοῦ περιέχοντος, καὶ τοῦ περιεχομένου, *t. 35.*

VI Æqualia numero, ac genere eadem sunt generabilium & ingenerabilium principia, 2. *de Gen. t. 51.* Quorum cæteroqui haud eædem causæ, *Averr. de Subst. Orb. c. 1.* cùm genere differant corruptibile & incorruptibile, 10. *Metaph. c. 10.* Corruptibile porrò, quod habet materiam, *c. 3. de Long. Vit. &c.* hæc enim causa τοῦ εἶναι καὶ τοῦ μὴ εἶναι, 7. *Metaph. c. 15.* ut transmutabilium propria sit materia, 8. *Met c. 4.* Atqui substantia sensilis μεταβλητὴ, 12. *Met. c. 2.* cœlumque individuum est sensile, ἀυθυπόστατον, 1. *de Cæl. t. 92.* eoque materiam habet in forma; nō γεννητὴν, sed πρωτην, πόθεν, ποῖ, 8. *Met. c. 1. & 4.*

VII Elementum μικρὸν, ἀπλοῦν, ἀδιαίρετον est, 5. *Metaph. c. 3.* Itaque materia prima, quæ sola simplex; *Perer. l. 5. c. 4.* ac forma prima, quæ & simplex & simplicis corporis est, *Averr. 3. de Cæl. com. 17.* elementa propriè, absolutè nuncupantur; impropriè quatuor corpora simplicia; quæ nedum ex illis prioribus

confiunt, *idem* 4. *de Cœl. comm.* 37. *et* 2. *de Gen. comm.* 6. sed et extra mistionem μικτὰ, οὐχ ἁπλα, 2. *de Gen. t.* 20. nec sincera et ἀμιγῆ uspiam existunt, *Piccol. Vales. cap.* 1. *de Sacr. Phil. p.* 26. quanquam φυτῶν μέρη παντελῶς ἁπλᾶ, 2. *de An. t.* 6.

VIII Elementa insunt in se invicem potentiâ, 1. *Meteor. c.* 3. in mistis autem potentiâ, vel actu, 3. *de Cœl. t.* 31. Atqui non actu; μεταβάλλει γὰρ ἐκ τῆς αὐτῶν φύσεως εἰς τὶ μεταξὺ καὶ κοινὸν, 1. *de Gen. t.* 89. sed nec potentiâ; οὐ γὰρ φθείρονται, οὔτε θάτερον, οὔτε ἄμφω, quanquam σώζεται ἡ δύναμις αὐτῶν, *ib. t.* 84. 90. Itaque mista ἐκ τῶν δυνάμεων, ὑγροῦ καὶ ξηροῦ, θερμοῦ καὶ ψυχροῦ, tanquam ex materia, constant, 2. *de Gen. c.* 7. & 2. *de Part. An. c.* 1.

IX Species sunt ut numeri; nec intenditur & remittitur ἡ κατ' εἶδος οὐσία, ἀλλ' εἴπερ, ἡ μετὰ τῆς ὕλης, 8. *Metaph. t.* 10. Itaque in substantia non datur continuus motus, 5. *Phys.* nam ubi magis & minus, ibi motus, *Averr.* 10. *Metaph. com.* 23. Formæ tamen elementorum in mistione, contrariarum qualitatum pugnâ remittuntur, & amissis ὑπεροχαῖς ποιοῦσι τὸ μέσον, 2. *de Gen. t.* 48. quippe dividuæ in gradus, & diminutæ à formis substantialibus perfectis, interque illas & accidentia quasi mediæ, *Averr.* 3. *de Cœl. com.* 67. accidentibus similes, aut ignobiliores, *Zab. de Mist. c.* 13.

X Fit, quicquid fit, per-se ex ente per se, non-ente per accidens: per accidens ex non-ente per se, ente per accidens, *Zab.* 1. *Ph. t.* 57. Quippe generatio est corruptio non-entis; ut corruptio, generatio non-entis, 1. *de Gen. t.* 23. Ac generatio media τοῦ εἶναι καὶ τοῦ μὴ εἶναι, 2. *Metaph.* Itaque si fit non-ens, non movetur, generatio non est motus, 11. *Met. c.* 11. *Scal. ex.* 290. sed aliorum motuum finis, 8. *Ph. t.* 24. Quanquàm omnis progressio in speciem perfectam generatio est, *Aphrod. in* 5. *Metaph. c.* 4.

XI Est terra sicci magis, quam frigidi: aqua frigidi magis, quam humidi: aër humidi magis, quam calidi: ignis calidi magis, quàm sicci, 2. *de Gen. t.* 23. Est tamen ignis calidissimus, siccissimus:

ciſſimus: terra frigidiſſima, ſicciſſima: aër humidiſſimus, non calidiſſimus: aqua humidiſſima, non frigidiſſima, *Averr. 3. de Cœl. com. 67. Zab. 2. de Qual. Elem. &c.* Cæterum nec terra συμμένει ἄνευ τοῦ ὑγροῦ, *2. de Gen. t. 49.* Eſtque terrâ igni ſiccior, Sicut humidior aër aquâ, *Averr. 1. Cant. com. 19.* ſed & aqua aëre humidior, *Thom. 2. de Gen. t. 23.* Imo aër οὐχ ὑγρὸς, etſi ἀντόμενον τοῦ ὑδατος, *Sect. 25. Probl. 3.*

XII Etſi duplex calor, cœleſtis γόνιμος, elementaris φθαρτικὸς, *2. de Gen. An. cap. 3. & Averr. 12. Met. Com. 18.* omnis tamen, elementorum quoque, calor cœleſtis eſt: ſiquidem et aſtra ipſa calida; et orbis elementaris οἷον ὕλη τις poteſtate calida, frigida, etc. fit, eſt talis actu ὑπὸ κινήσεως καὶ ἀκινησίας, *1. Meteor. cap. 3.* Itaq; τὸ πρῶτον θερμαντικὸν eſt Cœlũ, quod primò agit: non ignis, qui cum primò patiatur, *Averr. cap. 2. de Subſt. Orb.* eſt ſaltem τὸ πρῶτον θερμὸν, *Scal. ex 12.* In quo licet calor validiſsimus, quà nativus, quà adventitius, *id. ex. 23.* non tamen urit, edit, alitur, *id. ex. 9.*

XIII Ignis eſt calidi & ſicci fervor; itaque nihil ex igne fit, *2. de Gen. t. 21.* καὶ πῦρ οὐδὲν γεννᾷ ζῶον, igneus quippe calor φθαρτικὸς, *2. de Gen. An. ca. 3.* Atqui nec miſtio, ἡ κατὰ μέσον, fit ſine igni, *2. de ort. t. 49.* Qui in omnibus, & per omnia diffuſus, *Valeſ. de Sacr. Phil. c. 1.* Cujus & calor à cœlo, cœleſtis eſt; & naturâ vel arte caſtigatus ζωογονεῖ, *Scal. ex. 23. Perer. l. 8. c. 21.* Vnde ζωολάεια πυριγενῆ καὶ πυρίβια celebratiſſima, *5. de Hiſt. An. c. 19. Plin. l. 11. c. 36. Sen. 5. Nat. Quæſt. c. 6. &c.*

XIV Motus eſt perfectio calidi, quà calidum, *Averr. 2. de Cœlo. com. 42.* Et ignis, niſi moveatur, extinguitur, *1. Meteor. 3.* moveturque, ut moveatur, non ut quieſcat, *Zab. de Mot. ign. c. 8. 9.* Cæterum in Sole ſtantes aut ſedentes valdius calſiunt, quàm ſi moveantur, *Sect. 5. probl. 36.* Imò ἥλιος ἐπικάει, τὸ δὲ πῦρ οὔ, *Sect. 38. probl. 7.* Solemque adeò, ſi ſtet immotus, defixis in rem ſtabilem radiis, majores æſtus atque incendia daturum, perſuadet *Scal. ex. 23. & 74.* poſt *Durand. 2 Sent. diſt. 16. qu. 3.*

Vna

XV Vna uniuscujusque ut essentia est, sic forma, 6. *Top cap.* 4. per quam fit unum, quicquid unum est, *Averr.* 1. *de An. Comm.* 90. ut accidens sit, quod enti actu advenit, *idem* 1. *Phys. Comm.* 63. Cæterùm cum præcedaneis in materia formis generalibus propriæ superveniant, *idem* 1. *Metaph. Comm.* 17. plures in eôdem composito animato substantiales formas re distinctas, ὑπαλλήλως τεταγμένας, cöexistere necesse est, *Zab. c.* 2. *de Comm. Gen.* sed neque adeò φορτικὴ censenda Averroistarum sententia de animarum multitudine, quam post. *Zab. de Fac. An. cap.* 8. 9. probat *Tilen. part.* 1. *Syntagm. Disp.* 30. *Th.* 28. etc.

XVI Fit ὀπτασία κατ' εἰσπομπὴν, non κατ' ἐκπομπὴν; siquidem oculus aqueus, non igneus est, *l. de Sens. et Sensil. cap.* 2. An verò potius κατ' ἐκπομπὴν? si et ὄψις ἀνακλᾶται, 3. *Meteor. cap.* 3. 4. 5. & oculus ἐκ πυρὸς est, *Sect.* 31. *Probl.* 30. Cæterùm etsi visibile totum simul, inæqualiter saltem, videri potest, *Vitell. l.* 3. *Theor.* 48. tamen si visus progreditur longiùs, quam visibile, nihil eorum, quæ videntur, totum simul videtur, *Euclid. Opt. Theor.* 1. Itaque basin pyramidis radiosæ, nec quadratam, nec conicam, sed hexagonam esse, Aristotelis inventum est, *Nunnes. ad Vit. Arist. num.* 61.

XVII Quicquid actu intelligibile, immateriale; & quicquid materiale, potentiâ intelligibile est, non actu, 3. *de An. t.* 15. 16. Atqui singulare, licet sensibile, eoque materiale, 1. *de Cœl. t.* 92. verè tamen intelligibile est; intellectus siquidem omnia, etiam materialia, spiritaliter fit, recipit, percipit; κρίνει τὲ καὶ σαρκὰ, καὶ τὸ σαρκὶ εἶναι, 3. *de An. t.* 9. 10. Vtut ἄϋλος, ἀμιγὴς, χωριστὸς, *ibid. t.* 4. *& seqq. Zab. de Ord. Intell. cap.* 5.

PROBL.

PROBLEMATA PHYSICA.

1.

AN verum Phyſicæ principium ſit ſecundus Acroamaticus? Aff. *Averr.* 1. *Phyſ. Comm.* 83. quanquàm primus meritò præcedit, *Zab. de Nat. Sc. Conſt. c.* 9.

2 An corpus omne ex materia & formâ conſtet? Neg. *Averr. contra Avicenn.* quanquàm corpus facere ſine materia, eſt facere inſomnium ſine ſomnio, *Scal. ex.* 359. *ſ.* 3.

3 An materia prima ſit genus ſummum prædicamenti ſubſtantiæ? Aff. *Averr.* 2. *Epit. Metaph. cap. ult.* Eſt enim κοινὸν σῶμα, ὡς γένος, 2. *de Gen. t.* 33. 44. quanquàm genera compoſita ſunt ex materia & forma, *Averr.* 3. *Met. comm.* 11.

4 An detur potentia objectiva diſtincta ab activâ & paſſivâ? Aff. *Scot.* 2. *Sent. diſt.* 12. etſi omnis potentia apud *Ariſt.* eſt vel activa, vel paſſiva, 9. *Met. t.* 2. omniſque actus primus, vel ſecundus, 2. *de An. t.* 6.

5 Vtrum materia formam appetat præſentem, an abſentem? Aff. prius, cum *Scal. ex.* 61. Aff. poſt. cum *Riolan.* 2. *de Princ. Phyſ. cap.* 4.

6 An ſola forma ſit principium motus ut activum, ſic paſſivum? Aff. ſiquidem agit, movet; movetur, patitur, *Averr.* 3. *de Cæl. comm.* 28. materia autem, τῷ ταύτης δεκτικὴ εἶναι, φύσις λέγεται, 5. *Metaph. c.* 4.

7 An anima omnis, etiam rationalis, ſit natura? Aff. ex 8. *Phyſ. t.* 27. Neg. *ex.* 1. *de Part. An. c.* 1. & *Simpl.* 2. *Ph. t.* 16.

8 An cœlum immobiliter moveatur, & quieſcat? Aff. quandò circa idem centrum converti, nec locum mutare, quieſcere eſt, *Aphrod. in* 5. *Metaph.*

9 An gravia et levia ab externo tantum principio moveantur? Aff. *Ariſt.* 8. *Phyſ. c.* 4: cæterùm moventur etiam per ſe ab interno principio activo, 4. *de Cæl. c.* 3.

10 An aëris & aquæ ſeſe tangentium τὸ ἔσχατον ἅμα, τὸ ἐπίπεδον ἕν? Aff. *Ariſt.* 4. *de Cæl.* & *Sect.* 25. *probl.* 3. Neg. *Scal. ex* 5. *n.* 3.

11 An unius corruptio interdum sit Philosopho materiæ saltem relictio, ex quâ alterum fiat? Aff. falsò *Keck. 2. Syst. Phys. c. 6.* Licet ἀλλήλων φθόρα, ἢ μᾶλλον ποιεῖ, ἢ τὴν ὕλην, *2. de Gen. c. 7.*

12 An contraria dum agunt, repatiantur; reagant, dum patiuntur? Aff, *1. de Gen. c. 6.* at calidum, frigidum, humidum, siccum, agunt citra repassionem, patiuntur citra redactionem, *2. de Gen. cap. 2.*

13 An omne ὑγρὸν ἀόριστον, ἐυόριστον? Aff. *2. de Gen. c. 2.* sed μόνον τὸ ὕδωρ τῶν ἁπλῶν ἐυόριστον, *ibid. Cap. 8.*

14 An frigus sit privatio caloris? Aff. *2. de Cœl. cap. 3.* etc. quanquàm naturæ opus ingreditur, *contra Avic. et Card. Scal. ex. 22.* Et ἀνάψυξις perperam definitur ψύξις τοῦ κατὰ φύσιν θερμοῦ, *6. Top. t. 3.*

15 An quicquid putrescit, fiat calidissimum? Aff. etsi ignis non putrescit, quia calidissimus, *Sect. 25. Probl. 20. Scal. ex. 60. n. 3.*

16 An quartum elementum quærendum ὑπὸ σελήνης? Aff. *3. de Gen. An. c. 11.* cæterùm corpus sub lunæ concavo καλοῦμεν μὲν πῦρ, οὐκ ἔστι δὲ πῦρ, *1. Meteor. 3.*

17 An ignis elementaris sit lucidus, sed invisilis? Aff. *Scal. ex. 9. & 15:* quicquid opponat *Aslach. 1. de Cœl. Aër. c. 4.* aliàs τὸ πῦρ necessario videtur in tenebris & lumine, *1. de An. t. 74.*

18 An cor sedes animæ, et membrum princeps? Aff. *Arist. 3. de Part. An. c. 3. 4. 5.* quanquàm tria sunt membra præcipua, *Galen. 8. de Decr.* etc. Dist. *Avic. P. Appon. Conc. Diff. 38.*

19 An somnus sit quies τοῦ πρώτου αἰσθητικοῦ, i. cordis? Aff. *Arist. de Somn. c. 3.* etsi τὸ ζωτικὸν, καὶ τὸ κινητικὸν, nunquam cessant, *Scal. ex. 289.* Dist. *Keck. Curs. Phil. disp. 17. prob. 28.*

20 An sola pars animæ νοητικὴ sit locus specierum? Aff. *3. de An. t. 6.* sensus tamen recipit εἴδη ἄνευ ὕλης, *ibid. t. 138.* & *l. 2. t. 121.*

21 An intellectus nihil sine specie intelligat? Aff. *3. de An. &c.* Cæterùm intellectus & seipsum, & speciem ipsam sine specie intelligit, *Scal. ex. 307. n. 21.*

PROP.

PROPOSITIONES ASTRONOMICÆ.

I.

GEometria contemplatur lineam Physicam, non quà Physica; Optice lineam Mathematicam, non quà Mathematica, sed quà Physica est: Itaque Optica, Astrologia, Musica, φυσικωτέρα sunt è Mathematicis, 2. *Phys. t.* 20. inter Physicam n. & Mathematicas mediæ, *Cardan. de Subt.* an potiùs compositæ? *Scal. ex.* 322. Cæterùm & Optice θεωρεῖ, ἐχ ἡ ὄψις, ἀλλ' ἡ γραμμὴ, 13. *Metaph. c.* 3. unde pars Geometriæ quædam est *Gell. l.* 16. *c.* 18. Et Astrologiam Physiologiæ partem esse, frustrà contendit *Timpl.* 3. *Apsych. &c.*

II Πολυθρύλλητος illa Sphæræ in Rectam atque Obliquam divisio est, & nō est ἐξ ἀντιδιηρημένων; nam quibus Æquatoris vertices culminant, & Æquator Finitoris vicem fungitur, Sphæram habent obliquam maximè, *Clav. in Sacrob. c.* 1. an potiùs rectam? *Chr. Longom.* 1. *Sphær. c.* 3. & 4. non κατὰ τὸ ἔχειν, sed κατὰ τὸ κεῖσθαι, ubi axis πρὸς ὀρθὰς stat, *I. Scal. in* 2. *Isag. Manil. p.* 237. Imò nec rectam, nec obliquam; sed neutram, Parallelam, μυλοειδῆ, *Pincier.* 1. *Parerg. cap.* 34.

III Quibus Æquator μεσουρανεῖ κατ' κορυφὴν, tantùm abest, ut polum simul utrumque conspiciant, ut vel neuter, nisi duobus emensis ultrà citraque gradibus, appareat; siquidem credimus αὐτόπτη *Lerio in Navig. Brasil. apud Keck.* 1. *Syst. Astr. c.* 2. Cæterùm in Sphærâ rectâ polum utrumque horizonti incumbere, tàm verum est, quàm aut vulgo jactatum, aut persuasum antiquis, *Procl. Cleomed. Cycl. Theor.* 1.

IV Etsi Arcticum, ut Antarcticum, circellum, non unum, fixum, ἀπαράλλακτον, sed pro Zonarum, Climatum, Latitudinum differentiis variabilem esse, ex veteribus docet *Scal. in Sph. Man. p.* 76. *et seqq.* circuli tamen Polares, ut & Tropici, in

sphærâ κρικωτῇ fixi apponantor; siquidem partim plagas discriminant, partim polos & λόξωσιν Eclipticæ determinant. Porrò cùm & ista ritè absque parallelis expediantur, & Sphæricorum alioqui triangulorum dispositionem solutionemque impediant, omitti sine dispendio possunt, *Ch. Long. 1. Sph. c. ult.*

V Aut coluri non sunt κόλουροι, aut meridiani sunt κόλουροι: quippe utrorumque τὰ ἐπίποδα κέκρυπται μὲν, οὐ κεκολόβωται δέ, cum ultra Capricornum colentibus utilia sint. quin si κολούρων ἀφανῆ segmenta rectè ab Astronomis priscis damnata, quanto magis Antarticum, qui totus tectus, damnatum oportuit? *Scal. in Sph. Man. p. 84.*

PROBLEMATA ASTRONOMICA.

1.

AN Zonarũ cœlestium, terrestriũ distinctio hodieq. obtineat? Aff. quanquã τοῖς μεταπίπτουσι σημείοις οὐχ ὁριστέον τὰ ἀμετάπτωτα, *Strab.* totusque orbis navigationibus patefactus est, *Scal. in Man. p. 78.*

2 An Zona torrida, et Solis orbita Tropicis duobus definiatur? Aff. etsi verum illud *Maronis 1. Georg.* —— *Via secta per ambas, Obliquus quà se signorum*, etc. *Macrob. l. 2. in Somn. Scip. cap. 8.*

3 Vtrùm temperies æquabilior sub, an ultrà, citrave Æquatorem? Aff. prius: nam radius efficacior, quo diuturnior; ut contrà infirmior, quo obliquior. *Persp. Comm. 17. p. 3.*

4 An Meridianus, et Finitor circuli mutabiles, sed immobiles; reliqui mobiles, sed immutabiles? Aff. quanquàm et finitor immutabilis, *Timp. 1. Apsych. c. 4.* et coluri mobiles, id est, mutabiles? *Scal. l. c. p. 79.*

5 Vtrùm poli Finitoris sint *Semith* et *Nathir*, an puncta orientis et occidentis? Aff. prius, *Christmann. in Alfrag. cap. 7.* Vel post. siquidem Finitor per puncta ortus et occasus transit, *Scal. p. 87.*

FINIS.